

79.

*Q. F. F. Q. S.*

DISSERTATIO ACADEMICA,  
**MIGRATIONES**  
**AVIUM**  
**SISTENS,**

QUAM,  
EX CONSENS. EXPERIENT. FACULT. MED.  
IN ILLUSTRI ACADEMIA UPSALIENSI,

Sub PRÆSIDIO  
*VIRI NOBILISSIMI ATQUE EXPERIENTISSIMI,*  
**DN. DOCT. CAROLI**  
**LINNÆI,**

EQUITIS DE STELLA POLARI,  
S:Æ R:Æ M:TIS ARCHIATRI,  
MED. ET BOTAN. PROFESSORIS REG. ET ORD.  
ACAD. UPS. HOLMIENS. PETROPOL. BEROL. IMPERIAL.  
LONDIN. MONSPEL. TOLOS. FLORENT. SOCII,  
*PUBLICÆ VENTILATIONI SUBJICIT*  
*STIPENDIARIUS REGIUS,*

**CAROLUS DAN. EKMARCK,**  
*OSTRO-GOTHUS.*  
IN AUD. CAROL. MAJ. D. // MART.  
ANNO MDCCCLVII.  
H. A. M. S.

---

UPSALIÆ, Excid. L. M. HÖJER, Reg. Acad. Typogr.

KONGL. MAJ:TS  
TRO- TJENARE och MAJOR  
Vid Öft.-Göta Cavallerie,  
VÄLBORNE

# HERR LARS B. ROXENDORFF.

Upptag.

Välborne. HERRE.

Med. Vanligt. Ådelmod.

Dessa. Bladen.

Offer. Af. En. Ödmjuk. Hand.

Tolka. Ett. Sinne.

Fult. Med. Vårdnad.

Och.

Oendelig. Erkänsla.

Af.

Oförtjend. Gunst.

Ymnigt. Bevisad.

Mitt. Tacksamma. Bröft. Skall. Alldrig. Aflåta.

Att. Uppfända. Tåta. Suckar. Till. Den. Högste.

För. Herr. MAJORENS. Beständiga. Väl.

Förfynden.

Tillägge. Välborne. HERREN.

Lång. Lefnad.

Nöjda. Dagar.

Och.

Omfider.

Såll. Död.

VÄLBORNE HERR MAJORENS

ödmjukaste tjänare,  
CARL DAN. EKMARCK.

VIRO Admodum Reverendo Clarissimoque  
**D:NO DANIELI EKMARCK,**  
Ecclesiae, quæ DEO in Törnevalla colligitur,  
PASTORI Fidelissimo,  
PARENTI INDULGENTISSIMO.

**Q**uanto, votorum, que diu calidissima fudi, denique  
dannatus, dum venerationis, qua Te semper pro-  
secutus sum, quanque claustris peccoris mei hucus-  
que inclusam tenui, jam publice declarandæ ansam mibi pre-  
beri video, gaudio perfundar, verbis significare non valeo.  
Ab illo usque tempore, quo tantum mibi contigit judicii,  
ut solicitudinem, qua Te semper affectus salus mea omnigena,  
estimare potuerim, novis in dies cumulatus benefictis,  
meæ in Te pietatis ardorem quotidie quoque augeri per-  
fensi. Quod inde a prima pueritiae etate cum Musis mibi  
commercium habere licuerit, paterno affectui Tuо plane  
debeo. Tibi Aves ejam bę Migratorię per me acceptum  
referunt, quod collectæ heic adpareant. Quo vero usque  
non processi temeritatis? merita Tua in me tanta certe  
sunt, ut illa, nec rite percensere, nec prædicare unquam  
possim. Pro tanta vero mibi nullo non tempore præstata  
indulgentissimi animi cura gratias nisi agam, gravissime  
culpæ obnoxius fuero. Enī igitur, Parenz Carissime, pa-  
gelle, Tibi conseruatæ, quas ut laborum Academicorum  
primitias, ita animi venerabundi testimonia accipias oro.  
Faxit D'Es O. M. ut, omnibus a Conitie Tua valetudinis  
infirmitatibus repulsis, cum Matre Carissima, nostrum in  
gaudium & solatium exoptatissimum, diu sospes & incolu-  
mis vivas. Hæc sunt, quibus apud Summum Numen ex-  
cubias agere pro Tua salute nunquam desistam, ad cineres  
permansurus

PARENTIS INDULGENTISSIMI

filius obedientissimus,  
**CAROLUS DAN. EKMARCK.**

## Till BRODREN.

Jag har i helig Skrift med mycken undran sedt,  
Hur Konung Salomo, en Visdoms Far på Jorden,  
Beskrifver foglens väg åt Ost, Syd, Vest och Norden,  
Han säger att den går utöfver männ'skio - vett;  
Men ej förbjuder Han att saken eftersöka,  
Och om Naturens drift vår lilla kunskap öka.

En fåder flock far bort till sjös åt kalla Belt,  
När solen, liksom trött, så högt som förr ej blänker:  
En annan åter sig i mörka skrymslan sänker,  
Tills honom läcka fram de ljufva blomster-fält.  
Naturen sjelf, min BROR, din móda tycks berömma,  
När hon dig ser så natt om sina vågar dömma.

Din rena dygde-glants, i första ungdoms vår,  
Kringprider glättig kraft uti vår Faders hydda,  
Du giör att han oss lär än flere år beskydda,  
Din välgång friskar upp hans hvita silfverhår.  
Far fort, min egen BROR, du vet att dygden löner,  
Och åran sina barn med ädelt nóije kröner.

LARS EKMARCK,  
*Danielsson.*



I. N. J. C.

¶. I.

## PRÆFATIO.



X omnibus illis bonis, quæ in globo nostro Terraquo, hominum tam utilitatis, quam jucunditatis, promovendæ gratia, a Creatore omnipotente condita sunt, Aves animalium meum cum maxima demulcent delectatione, quarum tanta formæ species est, ut, me quidem judice, in volupratem humani generis nihil sit excellenterius. Quid enim cum Trochili splendida pulchritudine æquari potest? quid caudam pictam Pavonis vincit? Hæc tamen Naturæ artificia sola non sunt, quæ nostram cœrentur attentionem: unamquamque Avium, eam si debita accuratione intueri placuerit, admirationis nostræ materiem facillime reperire licebit amplissimam; tantis enim omnes colorum varietatibus fulgere videmus, qui aptissima gaudentes proportione, se invicem effabre excipiunt, ut pictorem, etiam artificioſſimum, colores ita permifcere

scere nosse, ut naturam hac in re perfecte imitari queat,  
vix crediderim.

Avium Pennas earumque structuram singularem inspicientes, omnium earum nullam omnino esse, quæ tanta Artificis supremi non prodat se compositam sapientia, ut ad mechanismum illius exquirendum & rite explanandum, quemadmodum etjam ipsam satis contemplandam, exiguum non sufficiat vitæ curriculum, luculenter invenimus; quæ, tanta licet arte fabricatae, singulis tamen annis decidue, plantarum instar pereunt, quotannis quoque recrescunt.

Uti pisces, in aquis degentes, mare immane & rapaces innatant fluvios, ita Avibus alatum quasi remigio uti, & aërem volando findere, concessum est. Levitatem itaque, quo legi huic naturæ eo facilius morem gerere possint, per necessariam habent. Quare etjam quam compendiosissimas, ne quid, quo carere quidem possint, gravitatem illis addendo, cursum ipsarum celerem impediret, Aves videmus creatas. Hanc eandem ob caussam Cauda, Scroto, Vesica urinaria, Utero, Labiis, Manibus, Corpore calloso, Fornice, Epiglottide &c. orbatas eas invenimus. Maxillas in rostrum nudas protraxit Magister Naturæ: brachiis Remiges loco infixit digitorum, quibus, ad iter per aërem agendum, eodem modo, quo nos remis cymbam propellimus, utuntur: urrhopygium Rectricibus instruxit, quibus, gubernaculi instar, quemadmodum pisces cauda sua, viam flectere norunt: auriculas, animalibus, illis donatis, auditum promovendo inservientes, eis necessarias non duxit, quare etjam illis private, utpote in altis ut plurimum degentes, hostem appropinquantem visu facile observare possint. Uterus, quod attulimus, Avibus intra corpus non est; cum vero ad generationem necessarius requiratur, hac singulari gaudent prærogativa, quod scilicet artificiale sibi construere possint,

quo

quo ova earum, æque ac naturali, excluduntur: *nidi* sunt, quos infidigitasse volo. Tantas, nidos hos fingendī modus, ova incubandi, nuptias celebrandi & pullos de-nique pascendi, reliqua ut taceam, agnoscit varietates, quantas fere Avium novimus species, tantamque manifestat excellentiam, ut, hæc omnia si quis rite describere conaretur, idem esset, ac æquori procelloso vastissimo lembo se consideret remis orbatum, testante Reaumurio.

Hæc & alia curiositatē allexere meam, flagrantique me affecere desiderio in Aves, quarum contemplatio, quo ad *structuram*, *vestimenta*, *mores*, *Oeconomiam*, *nomina*, & denique *notas*, quibus una ab altera dico scitur, omnium, quæ hominum in commodum Natura protulit fecunda, jucundissima mihi visa est, ulterius inquirendi.

Cum vero, ut pulcherrimæ, ita etjam animalium omnium apprehensu, & quarum nobis familiaritatē conciliemus, difficillimæ sint; cautissimæ enim, utriusque circumspetantes, hominemque ut hostem timentes, cum eo consuetudinem jungere non sustinent. Hinc sequitur, ut eos, qui, huic Zoologie parti operam navantes, in ea progressus facere cupiunt, quomodo sclopeto recte utantur, quo e longinquō eos prostertere queant, scire oporteat. Eiusmodi ipse Avibus innocuis, ad dies laboris vacuas, summo cum oblectamine me præbui inimicum, dum silvas intrans lucosque quietos, ubi animalia hæcce plumigera refugium potissimum habent, ea sagaciter exquisivi, & exquisita figi. Quo denique eo perveni, ut Aves nostras indigenas, quo ad plurimam partem, videre & examinare licuerit. Observationes itaque qualescumque heic Tibi B. L. communicare constitui, quarum benigniorem ut agas interpretarem, est, quod abs Te expeto.

## §. II.

## MIGRATIONES.

Multas & varias illas, quæ contemplatione Avium se delectantibus, earum perpendiculariter obviam veniunt, proprietates mittens, in unius solummodo, quam Aves plurimæ præ animalibus cæteris peculiarem fere habent, adumbratione, *Migrationum* scilicet earum, occupari, in animo mihi proposuit.

Oeconomia, ita dicta, Divina, quam Naturam per-  
lustrando a Conditore summo ita institutam, in levissimis  
etiam invenimus, ut cuique rei naturali, ad certos fines  
producendos, certas prescripsit leges, inter res certe  
maximi momenti est, ad quas mortalis unquam attendere  
queat. In illa enim, speculo quasi maxime limpido, ex-  
cellentiam perspicimus omnisciencie Divinæ, quæ, quo  
omnia, usui inservientia publico, eo majori peragantur  
dexteritate, ita sanctum voluit, ut cum lucro & utilitate  
semper conjuncta sint agentis: *Pices*, maria innantes  
vastissima, littorum aquas tepidas, ova exponendi gratia,  
ibi postea ut excludantur, instinctu naturæ quotannis pe-  
tere coguntur; qua vero occasione in prædam tam pescato-  
rum, quam animalium, quales sunt Accipitres, Anseres  
& alia, multi cedunt: *Scarabeus* terram sub simo forat,  
eum in finem ut ovum profunde, quod desiderat, ponere  
possit, ibique excluso, *Scarabeo* recenti esca non  
desit; hinc vero, in fœnus ruricolæ, terra stercoratur  
macra: *Lumbricus* vermis ille subterraneus, cui &  
domicilio & nutrimento humo uti jucundum est, vene-  
rem per noctes supra terram exercitus, superficiem vel  
crustam ejus perforat; quo eodem aquam per eam meabi-  
lem reddit, ut scilicet a terra, illa ne putrefiat, absorbeat-  
ur: *Gordius* argillam vario meatu perterebrans, venas,  
per quas humores ad rivos & fontes se penetrare possunt,  
eo efficit: *Picus* vermis intra arbores decidas & putre-  
dine

dine correptas degentibus vicitans, eos querendo in festucas truncos hos demortuos consindit minimas, ne diu inutiles & tristia exstent spectacula. Et sic, ad certos usus producendos, singula a Creatore summo disposita sunt, & ita quidem, ut ex labore, salutem promovente publicam, quid lucifaciat eum perficiens. Huc etiam Avium, ita dictae, Migrationes pertinent: per quas hanc earum intelligimus proprietatem plurimis competentem, quod terras sibi familiares quotannis linquentes, in alias, quedam magis, quedam minus remotas migrant.

Singulis annis, summa cum admiratione, integros quasi exercitus Avium in phalanges aut aciem instructos, hibernis desertis, regiones intelligo calidores, ubi hie-mem, magnum terrarum nostrarum borealium frigus ad evitandum egerunt, nos iterum tempore verno invisu-ros videmus; quorum quibusdam hic servatur ordo, ut, latera sua invicem tegentes, recta linea volando incedant; aliæ angulum constituant, ita ut media ætherem prima perfringat, postea ei proxima, & sic porro; aliæ in cuneum more pugnantium structæ aërem perrumpunt a); aliæ, una alteram insequente, longo procedunt agmine. Quis vero omnes his a natura præscriptas recitare valet leges?

Autumno autem, ut, contabescientibus herbis, fri-gore accrescente, quo ad plurimam partem evanescunt Insecta, sic etiam Aves, his absconditis, calidores ad provincias, nos relinquentes, iter pergunt veloces.

N. D. Præses in Itinere Lapponico miss. commemo-rat, quod A. 1732. totum Calicem fluvium, qui omnium

B e Lap-

---

a) Hanc Grues migrantes efficere figuram, ob-servavit Cicero, ideo etiam dicens: Grues cum loca calidiora pe-tentes maria transmittunt, Trianguli efficiunt formam. Nat. Deor. 2: 49.

e Lapponia in fretum currentium maximus quidem non est, Anatibus, numero exercitum superantibus Artaxerxis, per ostiduum fere, dies noctesque coniectum vide-ret, ut tantam Avium copiam unquam existere, vix sibi persuadere potuisset, quae omnes mare primum petebant, iter dein meridiem versus continuantes. Si vero omnia Lapponiae addamus flumina, tanta, sine dubio, singula Avium multitudine abundantia, quantus non inde resurgit numerus, e Lapponia tamen sola, migrantium?

Ubi vero haec & reliquæ omnes migratoriæ, itinere versentur confecto, quaque abeuntis ingrediantur via, plerumque adhuc latet, & arcanum est, quod ad explorandum requiritur, ut multum laboris, industriae & temporis impendant posteri; & implicatissimus hic si penitus solvendus sit nodus, ut multis terræ locis, huic rei atten-dant variae gentes, & orbi postea eruditio observata com-municent, necessum est.

### §. III. AUCTORES.

Has Avium Migrations, aut ignorarunt, aut non tanti habuerunt antiquæ naturæ curiosi plurimi, ut eas annotatu dignas judicaverint, quare non nisi dispersa quæ-dam hujus rei in scriptis eorum invenimus vestigia; recentiores vero paulo majori industria hocce excolare argumentum auspicati sunt. Quatuor in primis reperi, qui hasce Avium fugas debita sua dignati sunt attentione: Petrus Bellonius in Observationibus suis multis commemo-rat paginis, se, in itinere suo Orientali, ante jam annos ducentos, Aves Migratorias, vel versus meridiem, vel retro, aquilonem versus has suas accelerantes peregrina-tiones, vidisse, plurimas ultra Europam progredi putans: Marcus Catesbeus Migrationes hasce Avium, regiones vel australes, vel boreales petentium, in America septentrio-nali perspexit, quas etiam Tom. I. Hist. Nar. Carol. attigit:

J. T.

J. T. Kleinius in Prodromo Hist. Avium hanc Avium proprietatem solide & masculine tractandam aggressus est, & annotata M. Catesbæi scrutatus, quæ ipse, hanc rem ad illustrandam, quæ pulcherrima sunt, invenerit, nobis reliquit. Frid. Hasselquist in itinerario suo plurima de Avibus Ægyptum hieme petentibus annotavit. Lubens ego fateor, quod, quamvis omni animali impetu in id incubet, ut naturam & indolem Avium indagarem, non nisi exiguum tamen earum in migrationes mihi conciliare valuerim notitiam, cum illis anni temporibus, quibus ad eas attendi & potest & debet, aliis negotiis vacuos ruris versari vix unquam licuerit, quam tamen, quoniam multorum observationes requirantur & industria, publico proponere non dubitavi: quo ipso, si non plus secumferat utilitatis, Populares tamen meos ad huic Ornithologiaz parti operam navandam instigare voluerim; haec cum Avium fugae necubi æque dilucide, ac in regionibus nostris hyperboreis, perspici possint.

#### §. IV. CAUSSÆ.

Causæ Migrationum harum variae quidem sunt, potissimas vero Frigus existimo & Calorem. Avolantium omnium Aves aquaticæ maximam constituunt cohortem, partim *Anseres*, utpote qui in aquis versantur, & hieme, flaviis & lacubus nostris glacie obductis, hocce vivendi genere uti vetantur; nos itaque, antequam congelantur aquæ, deserere coguntur. Partim *Scolopaces*, quæ, in paludibus vadantes, ex illis alimenta sumunt. Ab hoc autem ipso eorum penu, rigore hiemis, omnia loca palustria glacie conducentis, exclusæ, æstiva sua, urgente penuria, relinquent. Migrantium quoque turbam *Passer* augent *tenuirostris*, qui, infectis, quibus vicitant, instantे hieme, quo ad plurimam partem abditis, inter

nos vitam ulterius tenere non valentes, ut aliter sibi consulant, necesse habent.

Videmus itaque, causarum emigrationum infimam non esse eorum, quae ad usum vitae pertinent, alimenti scilicet, in quibusdam locis inopiam, quae deserunt, in aliis vero copiam, quae petunt aves.

Hujus etiam in aestiva eligendo rationem habent. *Cirtoniae*, quae serpentibus potissimum vescuntur, nos, ex grum multitudine liberatos, vix unquam visitant, sed in Scania plerumque aestivant, ubi *Coluber Natrix*, in provinciis Sveciae borealis sat rarus, frequentissimus inventitur. *Calamitas Lapponiae* maxima in multitudine *Calicium pipientium* Fn. 1116. infinita consistit, qui tantis circumquaque volitant catervis, ut vix evitare possint incole, quin, dum loqvuntur, respirant, vel, quoconque modo, ad minimum os aperiunt, eorum integra in buccam irruant examina. Hi omnes antequam exclusi fuerint, in multis illis, quibus inundatur Lapponia, aquis larvæ jacent, & *Anatibus* esui sunt. Hunc itaque regionem *Anates* plurimas, & numerum provincias anstraliores inhabitantium longe superantes, ibi ut nidulentur, elegisse invenimus, idque eam ob causam, quod facile, & sine longa inquisitione, cum ova fovent, ea ne frigore lalentur, ex larvis dictis esculenta sibi procurare possint: inter illas enim obtinet polygamia, ubi in fœminas solas omnem cunam conjiciunt mares, tam ovis incubandit, quam fœtus exclusos nutriendi. *Larus parasiticus*, pisces ipse capere non valens, sed *Laros* alios, maxime edaces, prosequendo victimum sibi procurans, lusus Clupearum, in sinu bothnico frequentissimos, invisit, ibique copiolissimus cum aliorum lucratur damno.

Hæ emigrationis, vel fugæ, in quam autumno, eminenti frigore, se conferunt Aves, cause sunt præcipuae: possunt etiam plures esse, nobis ignotæ, ut structura ipsa corporis

corporis ratione transpirationis, & alia. Reditus vero  
 earum in regiones nostras hyperboreas, quem vere pri-  
 mo, ineunte æstate videmus, rationem reddere, opus  
 majoris est difficultatis. *Paludes* & *fluvios* plurimos, quos,  
 quæ terris nostris borealibus, alpibus præsertim Lappo-  
 niae altissimis, tempore brumali cadit, & vere, admisto  
 calore solis, liquefecit, procreat nivium copia magna,  
 culicum, quibus vicitant plurime, multitudine abun-  
 dantes, reditus causam non habeo minimam. *Dies*  
*longiores* & *noctes lucide*, de quibus tempore æstivo læ-  
 tamur, tam sibi metipis, quam pullis suis gulosis, penum  
 commode comparandi, occasionem præbent. *Silve* nostræ  
 vastæ denseque Avibus, homines strepitusque omnem  
 timentibus, refugia & domicilia sunt aptissima. *Calor* re-  
 gnorum Europæ australium magnus plumis ad minimum  
 pellitas, quales sunt *Anseres*, ad plagam sibi frigidorem  
 querendam compellit. *Patria* præterea & *Consuetudo* nec  
 minima conferunt; ad loca enim, quibus, tam in victum  
 sibi pullisque suis acquirendo facilis, quam aliis prærogati-  
 vis gaudente, vita antea fruiti sunt, sisdem iterum ut u-  
 tantur commodis, revertunt. Unam eandemque itaque  
*Ciconiam* eodem quotannis nidulari camino, quem per  
 annos antea plures inhabitaverit, haud raro observamus.  
 Per octennium integrum una eademque Alno cavernosa  
*Sturnum* claudum, hieme licet semper abesset, unaquaque  
 æstate, nidificasse vidi. Anni præterfluxere, ad minimum  
 sex, per quos *Tinunculum* uno eodemque foramine tur-  
 ris cuiusdam pullos exclusisse, observavi. In Lauris Hor-  
 ti Academicici *Upsaliensis* per sexennium, quovis vere,  
*Motacillæ* due *alba* nidoles construxerunt, quæ jam man-  
 fvetæ, Gallinarum instar, homines non fugiunt, & eo  
 ipso ab aliis sui generis timidis evidenter distincta.

§. V.

## EXOTICÆ.

\*CATESBÆUS qui Aves Americæ septentrionalis earumque migrationes sedulo observavit, sequentes præcipue commemorat migratorias.

ACCIPITER cauda furcata pag. 4. autumno decedit, nec unquam per hiemem in Carolina conspicitur.

PSITTACUS carolinensis p. 11. circa initium hie mis e Carolina austrum versus aufugit.

CUCULUS americanus p. 9. hieme non appetet, sed autumno, quemadmodum canorus noster, abit.

TROCHILUS Colubris p. 63. in Carolina nidificat, instantे vero hieme in Americam meridionalem migrat.

ANAS canadensis p. 92. &

ANAS minor, capite purpureo p. 95. e regionibus Americæ septentrionalis in Carolinam, vel ultra, hieme fugiunt.

ARDEA cerulea p. 76. tempore vernali in Carolina copiosissima conspicitur, ceterum infrequens. Quo indicatur, septentrionem versus eam revertere, oris australioribus, in quas eam frigora hiberna fugaverant, reflectis.

ARDEA alba p. 77. in Carolina nidulatur, autumno discedens.

ARDEA virescens p. 80. in Carolina nidificat, & hieme nunquam repartam, meridiem autumno petere, putat Cl. Catesbæus.

TANTALUS Loculator p. 81. exeunte aestate Carolinam turmatim frequentissimus advolat; mense autem Novembri omnes decedunt. Ex quo concluditur, in plagiis borealibus eos nidos suos aestate finxisse, & Carolinam, in austrum tendentes, prætermittere.

TRINGA alba p. 82. aestate præcipite Carolinam, dum ingens ibi semper pluvia cadit, frequens adit, in locis humidis degens.

TRIN-

**TRINGA fuscata** p. 83. medio Septembri Carolinam quotannis adveniens, ad palludes & prata uliginosa versatur, ultra vero hebdomadas sex non commoratur, sed in Americam meridionalem descendit, & ante idem tempus anni sequentis non videnda est b).

**COLUMBA caudata**. p. 23. Tempore brumali, praesertim dum frigora intentissima sunt, e Canada in Carolinam & Virginiam copiosissime descendant haec, nec ibi subsistentes, austrum versus ulterius procedunt. Hiemes Americae dum leniores sunt, earum, paucissimæ conspliuntur. Notandum est, quod redeuntes nunquam Carolinam pervolent: nec, qua ingrediantur via, novit quis. De peregrinationibus **PALUMBI bujus migratorii** vide plura apud Auct. p. 23.

**ALAUDA alpestris**, p. 32. Americae Septentrionalis avis, in virginia & Carolina hibernat, mature, sub finem hiemis, decedens.

**FRINGILLA biemalis** p. 36. hiemen in Carolina & Virginia consumit, æstate vero nunquam reperitur, sed vere discedit, regiones, exinde quod sequitur, adiens septentrionales, ubi nidulos suos construit.

**FRINGILLA Oryzivora**. p. 14. Initio mensis Septembris, Oryza in Virginia & Carolina adhuc molli, eadem in Cuba & adjacentibus insulis, ubi prius maturescit, horreis reposita, harum turmæ, ex fæminis solis compositæ, quod peculiare & probe notandum est, adveniunt maximæ: hebdomadas cireiter tres, usque dum exduces-

b) Illam ob rationem Americam meridionalem has petere, existimat D:n Catesby ut ibi nidificent & ova excludant, Carolinam enim valde frigidam habet. Analogie vero magis conveniens videtur, quod in regionibus borealibus multiplicatae, autumno, ad frigora vitanda, meridiem petant.

rescerit Oryza, commorantur, & circa finem mensis discedunt: quo autem tendunt, non novimus. Maribus postea convenient, quibus conjunctæ, initio veris per Carolinam regreflum habent.

FRINGILLA *purpurea* p. 41. per hiemem abest.

MOTACILLA - - p. 47. aestivo tempore in Carolina reperitur.

MOTACILLA - - p. 55.

MOTACILLA - - p. 56.

MOTACILLA - - p. 66. &

MOTACILLA - - p. 53. instante hieme, in Americam Meridionalem avolant, & vere novo redeunt.

HIRUNDO *purpurea* p. 51. &

CAPRIMULGUS *europeus*, absconditis insectis, disperant.

Cæteræ, quarum attingit migrationes, quod autumno abeant, verbo denunciat.

\*KLEINIUS, qui Gedani ex professo & indefessa diligentia in Migrationes Aylum inquisivit, sequentia præsertim adfert.

ANATES, *Anseres* in specie, verno tempore quotannis trans Mare Balticum tendunt, idem iter in autumno non repetunt. pag. 194.

COLYMBUS *arcticus* ex Lapponia sive verno, siue autumnali tempore hospes.

LARI partim in Chersoneso Helensi nidulantur, ubi fruticeta sunt interjectis lapidibus & gurgitibus, partim in altis littoribus insule Nehringæ;

STERNA *Hirundo* autem in arundinetis Casubia nidulatur: ingruente hieme omnes revertunt, unde venerint, Sundam Maris Baltici versus. p. 195.

ARDEA ad Boristhenem & plus ultra in imperio Ottomannico portionis Europæ commode stabulare possunt. p. 193.

GRUES

GRUES per integrum annum ad paludes Lithuanicas, in Podolia, ad Boristhenem & Helleponsum usque reperiuntur, quo & nostrates commode pervolant, in itinere spicas segetesque novas legentes. p. 92.

RALLUS *Crex* Angliam hieme petit, ut statuit Schwenfeldius.

TETRAO *Coturnix* forte Sandomiriam, Ukrainam vel Podoliam & Valachiam petit. p. 190.

TRINGÆ - incredibilibus multitudinibus verno tempore in Polonia & Borussia nidulantur, & appropinquare autumno turmatim avolant, in Anglia autem per totam æstatem non conspicuntur, sed autumno frequenter adveniunt, tota hieme permanentes, demum versus ver ducedunt. p. 187.

TRINGA *Arguata* quotannis ab Hypocæcia medio Aprili ad primos dies Maji accedit, quam plagam iterum exente autumno ablens sequitur. p. 187.

CERTHIA cum LUSCINIA & CURRUCA paria fata subit. p. 187.

EMBERIZA *nivalis* hieme advenit e Lapponia gradatim, per majorem Podoliam tandem ad alpes usque Carpaticas pergens: mensibus Februario & Martio redux. p. 186.

CAPRIMULGUS *europeus* hieme non amplius appetet, Scarabeis similibusque infectis conditis. p. 185.

LUSCINIA & CURRUCA evanescunt. p. 283.

TURDI *musicus*, *iliaci*, *pilares* per Livoniam, Curlandiam & Borussiam ex Sibiria aut Lapponia per quatuordecim dies post Michaelem incredibili copia abeunt in alpes usque; exinde Turdi minores vineta Italorum permeant. p. 179.

STURNI in majorem Polonię abeunt, inde juxta montes Carpaticos semicirculum Crima tenus describunt, seque in Ukrainam conferunt, sive eadem via sive per Lithuania

thuaniam quasi mendicantes loco in alium, tandem redeuntes, p. 177. at Willugbæus Ornith. 145. per totam hiemem in Angliam permanere observat.

TRINGA *Vanellus*, CHARADRIUS *Pluvialis* & *Hiatricula* in paludibus Lithuanicis hibernant. p. 175.

HIRUNDINES & CICONIAS inter aquam se demergere per hiemem, pulcherrimis observationibus demonstrat. p. 193 & seq.

\*HASSELQUIST p. m. parœcus olim in itinere suo Orientali pulcherrima observavit, e quibus excerpta nonnulla, hanc ipsam tangentia rem, pagellas ad illustrandas has, adferre haud ineptum existimaverim, quæ sequentia sunt.

TRINGA *Charadrius* & SCOLOPACES variæ mensibus Decembri & Januario Natoliam ingrediuntur, ad Ægyptum vero, ubi hiberna sumunt, ex Græcia & Turcia, quemadmodum ex Europa Natoliam proficiscuntur, initio Octobris accedunt.

STURNUS e Gallia, Italia & Europa australi Ægyptum mensibus hiemalibus adit.

EMBERIZA *Hortulanus*, sive Ficedula mense Septembri Ægyptum advenit.

CHARADRIUS *Pluvialis* mense Novembri ad Ægyptum accedit, ibique per totam hiemem & maximam veris partem commoratur. Numne itaque, inter nos æstivantes Pluviales, qui etiam inter ultimas vere reduces sunt, tam longum expediisse iter credamus?

TRINGA *Vanellus* mense Septembri ad Ægyptum peruenit, ubi per totum hiemale tempus manet. Verum quidem est, quod nostrates mature abeant, an vero Ægyptum petant, non facile dixerim.

ANAS *Boobas* & *Penelope* mense Novembri ad Ægyptum, post inundationem Nili, frequentissimæ veniunt. Nostrates vero hucusque procedere, non crediderim.

TE-

TETRAO *Coturnix* ineunte Martio agros *Egyptiorum* invisit, messe autem peracta evanescunt omnes.

ARDEA *Grus*, de Turcia profecta, mense Octobri *Egyptum* copiosa adit.

PELECANI *Onocratali*, medio Septembri, in phalanges ad angulum obtusum, Anatum *Anserum* instar, instructi, *Egyptum* adveniunt, aestate vero ad mare Nigrum & littora Græciæ commorantur.

MONEDULA *Pyrrhocorax* exeunte Septembri, vel initio Novembri, sub finem inundationis, multitudine incredibili ad *Egyptum* accedit, ranas & amphibia alia, quæ tum totam illam obtegunt terram, cum *Ciconis* & *Falconibus* legens. In Gallia & Anglia æstivans, nunquam in Svecia nostra reperta est.

### §. VI. INDIGENÆ.

Ut vero Aves paululum attingam *indigenas*; eas solummodo enumerando occupabor, quæ tempore autumnali, instanti hieme emigrantes, per æstatem solam inter nos habitant; quo dum regiones australiores harum quasdam advenire, observaverint exteri, unde venerint conjicere possint; me enim, ubi, limitibus patriæ transgressis, versentur, monstrare non valere, ut confitear, necessum habeo. Eas quoque, quas per integrum brumale tempus manentes, frigora nostra sustinere invenerim, percensendas e re duxi.

\*ACCIPITRUM ex Ordine plurimæ permanent, ut-pote quæ, venatione victimum procurantes, per hiemem vitam inter nos sustinere possunt.

FALCONES quo ad plurimam partem perennes nobis sunt, ut *Aquila*, *aeruginosus*, *Moschetus* & alii, qui

hieme c) haud raro, Gallinarum & Columbarum maximam in consternationem, pagos visitant. Qui vero emigrant, quales sunt *Halietus*, Fn. Svec. 57. *Lanarius*, Fn. 61. *Milvus*, Fn. 39. d) *Buteo*, Fn. 64. *Tinnunculus*, Fn. 67. / *Amphibius*, *Insectis* & aliis ejusmodi, quae abdidit hiems, vescuntur e).

Falco *Tinnunculus* eodem fere die cum *Motacilla alba* redit, dum primi prodeunt flores, qui sunt *Tus-silago Farfara*, *Crocus sativus*, *Leucojum vernale*, *Ga-lanthus*

e) Opinio est, vulgo familiaris, nullum ruricolis Accipitres a Feris Purificationis Mariae ad festum usque Michaëlis, aves eorum domesticas eripiendo, damnum dare: quod etiam ita sepe plerumque babere, observatum est. Ex quo luculenter patet providentia & bonitas summi Moderatoris, qui avium harum, contra impetus hostis hujus truculentissimi nibil valentium, tantam gerit curam, ut immunitatem illis tempore, quo ova ponendo, eaque fovento, ut & pullos nutriendo occupatae sunt, invasionis inimici hujus dare placuerit; eodem modo, quo gallinas silvestres, bumo aperta nidulantes, odore orbavit tempore, quo ovis incubant, ne, sagacitate Vulpum ferarumque aliarum investigate, perirent.

d) Milvi nidulantur Caii, eo tempore, quo a nobis absunt, & state autem in Europam avolant, ut immensum solis ardorem fugiant. Bell. Obs. II. XXXVI. cfr. II. XXVIII. Cui addit Clusius, vix majorem in Cairo Milvorum frequentiam conspicit, quam Londini, ubi eos interficere vetitum est, ut spurcitem in plateas, vel etiam ipsum Thamein flumen, quod urbem alluit, ejectam legant & devorent. Maxima quantitate eo confluunt.

e) Hinc concluditur, Accipitres hos migratorios non, nisi casu, quid nobis afferre damni; cum præterea per totum biensem absint.

*Ianthus nivalis* &c. Migrantem quoque fine mensis ex-jolationes concomitatur *Motacillam*.

Faltones reliqui migratoriis primo redeunt vere, au-tumno autem, ad destructionem aestatis, cœterivation de-cedunt.

STRIGES omnes per integrum hiemale tempus in-ter nos verlari, crediderim : frequenter enim *Bubonem*, Fn. 45. *Ululam*, Fn. 48. & *Strigem albidam* Fn. 54. hie-me confexi.

LANIOS, tam *Monitorem*, Fn. 181. quam *Collurio-nem*, Fn. 180. non nisi æstate quidem unquam vidi ; an vero inter aves migratorias sint, nec ne, dijudicare nescio.

\*PICARUM ex Ordine aliæ permanent, emigrant aliæ.

CORVI per hiemem totam apud nos habitantes sunt.

*Corvus Corax*; Fn. 69. &

*Corvus Pica*, Fn. 76. que omnibus anni temporibus, æque hieme, ac æstate, ad pagos deambulat ;

*Corvus infaustus*, Fn. 187. per totum annum silvas Norlandiae inhabitans;

*Corvus glandarius* Fn. 74. f) &

*Caryocatactes*, Fn. 75. quos medio hiemis in-veni saepe & configi.

Emigrant vero sequentes.

*Corvus Garrulus* Fn. 73. peracta melle, mature abit, ad adventum *Cuculi* rediens.

*Corvus frugilegus*. Fn. 70. Vergente mense regelatio-nis g) ad nidos suos in salicibus, que medio fluvii Nor-copiae, ubi Ostrogothiae unice habitantes vidi, brevis erescunt, constructos redeunt, ibique in autumnum, usque dum a frigoribus fugantur, frequentissimæ aestivant.

*Corvus*

f) Hæc cum pagos tempore hiemali advolat, maximi & insoleti frigoris indicium ruricolis est.

g) Ex adventu bujus in Norcopiam, appropinquantem preagiunt incole aestatem.

*Corvus Cornix* Fn. 71. Uplandiæ, ut & Tornoæ, quod narravit, beatæ memoriæ, Dn. Arch. Rudbeck, totum brumale tempus terunt *Cornices*: *Ostrogothia* vero quo ad plurimam partem, *Smolandia* alisque provinciis australioribus initio hiemis emigrant, ineunte mense regulationis redeuntes. Tempore, quo absunt, ad littora maris, ubi hieme, quisquiliis legentes, visæ sunt, versantur: interdum etiam in viis stercora equina, nutrimenti gratia, rimari videntur.

*Corvus Monedula* Fn. 72. eo modo, ac *Cornix*, *Smolandiam* & *Ostrogothiam* sat cito, & quidem vix peracta messe, relinquit, & *Sturni* vere affecta redit: circa *Upsiloniam* vero totam per hiemem catervis magnis in turribus altis, e.g. *Upsaliæ* antique, residere videtur.

*CUCULUS canorus*, Fn. 77. a cantu circa medium mensis grossificationis cessans b), in autumnum usque nihilominus commoratur, dum in septis-olerum & lupuli larvas legendò occupatus sepissime reperitur. Hieme nunquam conspicitur, sed, adveniente vere, primis diebus frondescētia rediens, canto se facile prodit.

*JYNX Torquilla* Fn. 78. hieme non apparet, vere autem remigrans, *Cuculi*, post quatuordecim dies, adventum ruricolis annunciat.

## PICI

---

b) Narravit mihi quidam, cui fidem habere non dubito, se autumno adulto, & quidem exeunte mense defoliationis, ad pagum pertica, quo fulcitur lupulus, insidentem, & quidem cantantem, vidisse Cuculum. Sed singulare hoc, &, quod ab adventu ad autumnum usque continuo non cantet, unusquisque novit. De proprietate vero illa, quam in quibusdam observavi avibus, quod scilicet gestus & sonum autumno recipient vernalem, derivandum existimo: sic Tetraonem *Urogallum* & *Tetricum* autumno missitantes audivi; Picas quoque eodem modo, ac dum vere matrimonio junguntur, garrientes & se mutuo prosequentes autumno sèpius vidi.

PICI omnes apud nos hibernant; larvis enim illis vescuntur insectorum, quæ totam per hiemem arboribus absconduntur demortuis. Hanc eandem ob causam

SITTA europea nos neque deserit, larvis illis *Dermetidum*, quæ lignum intra corticem sculpunt, plerumque victimans.

CERTHIAM, Fn. 213. omnium avium nostrarum sylvaticarum minime meticulosam, hieme etiam, truncis arborum reptantem, inveni.

UPUPA *Eops* Fn. 185. Hanc esse, quam hieme media, palude quadam aperta aliquando videbam, opinor. Æstate & autumno in Ostrogothia interdum appetet, hieme vero nunquam; ut, si *Upupa* erat avis, quam videbam, calu retardatam existimem.

\*ANSERES plurimi migratoriæ sunt; hieme enim, dum congelantur aquæ, ex illis ulterius nutrimentum plurimum, ut antea, sibi querendi eis adimitur potestas. Regiones itaque omnes petunt calidiores, exceptis non nullis, qui littora solummodo marina, ubi occupationibus suis a glacie non impediuntur, advolant.

ANATES autumno evanescunt omnes.

Anas *Cygnus* Fn. 88 non procul hibernat, sed in littore Scaniæ, præcipue Malmöam prope, avolat.

Anas *Anser dietus*. Fn. 90. Sub finem mensis *ex solationis* cœteratim emigrantibus, his nullibi Sveciæ maritimis hiberna sumere placet, quos vel sinus Belgicos, vel magis longinquis, hieme frequentari existim. Vere novo, & quidem *vergente mense regelationis* altum scindentes ærem, in phalanges regulares ad angulum plerumque obtusum instructi, remigrant, & nos prætervolantes, in Lapponiam usque immo ulterius quidam, antequam æstiva attingant, properant.

Anas *Bernicla*. Fn. 91. In Belgio frequentissimæ hibernant, tantaque ibi copia capiuntur hæ, ut tabernæ, quibus

bus Amstelodami aves venduntur, illis impletæ omnino sint. Versus plagam borealem omnes vere migrantes nos prætervolant, exceptis paucissimis, in Lapponiæ finitimiæ festivantibus; reliquæ septentrionem pro meta habent ulteriorem.

Anas biemalis Fn. 95. rariissime, & quidem dum durissima afflictionis hieme, ad nos descendit, & fontibus, quæ frigore non constringuntur, reperitur. Quo indicatur, Mare glaciale, inter Lapponiam & polum arcticum, ipsi patriam esse, & quod ad nos rigor eam compellat acerrimus.

Anas acuta Fn. 96. oras nostras maritimæ, vere migrans, advenit; profectionem tamen suam ultra quatuordecim dies non tardans, utpote quæ nunquam apud nos nidulatur, iter septentrionem versus, & dubito an non ad mare album usque, accelerat. Ineunte autumno nos iterum præterit, regiones australiores.

Anas Boscias Fn. 97. una est Anatum, quæ brevissimum expediendum instituunt iter: in maritimis Scaniæ per totum sæpe brumale tempus manet, leniore in primis hieme; vehementiore autem, ad ripas Daniae & Germaniæ se confert, & primas subsequitur remigrantes.

Anas Clangula Fn. 100. totam interdum hiemem fluviis & cataractis non conglaçantibus, assidue se mergendo, terere conspicitur. Earum tamen plurimæ emigrant, omnium vero primæ reduces; & dum *mense regelationis* franguntur glacies, hiatibus primis, in magnas collectæ innatant catervas. *Conchiliis* enim vicitant & affinibus, quas profundo investigatas devorant, omnibusque anni temporibus, dum, glacie non impeditæ, se mergere locummodo possunt, eis obvitis.

Anas nigra, Fn. 106. eodem modo cum Clangula vitam sustinens, in omnibus comes ejus est; iisdem cum ipsis temporibus & abit & redit.

Anas

Anas *Querquedula* Fn. 109. & reliquæ omnes eminentia aufugiunt frigora, & hieme redeunt finita.

MERGI omnes autumno abeunt præcipiti, vere reddituri <sup>i).</sup>

PELECANUS *Carbo* Fn. 116. Sinum Bothnicum, antequam a glacie ad sedem mutandam coactus fuerit, non relinquit. Dum hieme media Sveciam, Oceanum magnum petens, transmigrat, arboribus tectisque requieci gratia insidentem comperire licet.

ALCA *Torda* Fn. 120. in rupes Insularum maris præcipites ad d. 12. Maji immigrat. Unicum nido suo o-vum parit, cum primis, ineunte Septembri, avolans.

COLYMBUS *arcticus*, Fn. 121. in lacubus ubique Svecie, provinciarum vero borealium frequentior, æstiva agens, autumno nos deserit, & provincias Germaniae, proxime nobis adjacentes, quos vix transgreditur, adient. Ovorum pullorumque cura immunis, lacus intervolitat duos, rationem tempestatis habens, ut rusticis nostrisibus volatus hujus pro eminentium pluviarum adstantisque æstus prognostico valeat.

*Colymbus auritus*, Fn. 123. in aquis nostris haud frequenter conspectus, regionibus deget septentrionalibus, lacubus præfertim Lapponiae, ubi nidulum suum, super aquas natantem ex scirpo calamoque conficit. Singulare illud, eum, volandi potestate non gaudentem, autumno, hirundinum instar, aquis se submergere, D. D. Martin narratum k), aliter sese habere, quod scilicet volare possit, a Dn. Solandro in Lapponia postea observatum est. Eum itaque æque, ac omnes aliae generis hujus, re-vera emigrare, cum hieme semper absit, & hac sua fuga

D

mare

---

i) *Quod ægypto hiemes, ut apud nos æstates, ova ponendo & excludendo agant, urget Bellonius.*

k) *Amen. ac ad. T. 2. p. 265.*

mare continuo incedere, terras enim continentis transmigrantem nunquam vidimus, probabilius concludi potest.

**PROCELLARIA petalica** Fn. 249. Mare Balticum nostrum non, nisi casu quodam pulsâ, advenit <sup>l)</sup>, sed Oceani incola vastissimi, in eo semper manens, procellas stridentes, fluctus rapidos, qui parvulam hancce omnino operire viderentur, tempestatesque horridissimas, naviis grandibus, illisque quos vehunt, præsentem interitum minantes, magnopere quod mirandum, superba spernit.

**LARI & STERNÆ** omnes appropinquantem aufgiunt hiemem; utrum vero oras solummodo marittimas adeant, an regiones petant calidiores, mihi non patet.

\* **SCOLOPACES** tanquam conjuratæ unanimiter in fugam se conjiciunt, ne earum unicam quidem, inter nos habitantem, invenire possimus.

**ARDEÆ** omnes autumno dispergant, vere autem rediunt.

**Grues**, Fn. 131. in turmas congregatæ, tempore vernali nos revisuræ veniunt, peractisque inter eas sponsaliis, per omnia sparguntur, loca plerumque adeuntes eadem, quibus antea per annos plures nidificare consuetæ fuerint <sup>m)</sup>.

**Ciconia alba** Fn. 136. ultra Sciam, vere prodiens, vix progreditur, ut provinciis superioribus a state visa quedam, futuri cujusdam præfigium habeatur. Circa finem

<sup>l)</sup> In marittimis tamen Lapponiæ, quemadmodum etiam prope Hedemora, rariissima inventa est.

<sup>m)</sup> Grues in Ægypto hibernare, & in Europam vere remigrantes Hellespontum, Podolian & Lithuania pretermittere, existimarunt antiqui. Hinc Plinius: X: 23. Certum est, Pontum transvolaturas primo omnium angustias petere inter duo promontoria Cribi Metopon & Carambin.

Hieme ingruente avolant Grues, & in Ægyptum ac Æthiopiam tendunt. Sperl. Zool. Phys. p. 319,

nem Augusti abeunt, & redeunt ineunte Aprili. An vero  
hæ, ut conjicit Cl. Kleinius, autumno se mergant, non equi-  
dein novi; quod vero, secundum sensum Bellonii, in re-  
giones immigrant australiores n), analogæ magis con-  
gruum videtur.

*Ciconia nigra.* Fn. 135. In catervas magnas conso-  
ciatæ, ex austro septentrionem versus tendentes, vere  
revolant, & nos omnino prætervolantes, ut, dum quas-  
dam heic nidificasse invenimus, singulare habeatur, in pla-  
gam borealem ultro properant. Altissime volant, ut ma-  
gnitudinem Passeris superantes non appareant: ad paludes  
per noctes sæpe quiescunt, nec tota æstate, donec, nos ite-  
rum autumno prætermittentes, abeant, videndæ sunt.

*OTIS Tetrax* inter aves, æstate quo apparent, no-  
stratisbus rarissimas est; utrum vero in septentrionem huc-  
usque non procedat, an totam transmigret Sveciam,  
dicere nescio.

*RALLUS Crex* Fn. 162. mense florescentiæ æstate ve-  
nit, in carectis, & agris inter segetes degens, ubi gemi-  
no sono stridulo continuo auditur, noctibus præcipue, dum  
e terra prorepunt Lumbrici, quibus victitat. A cantu eo  
fere tempore, quo *Cuculus*, abstinet, in autumnum usque  
nihilominus inter nos versari, inde colligitur, quod pul-  
li ejus adhuc non adulti inter pisa eo tempore, quo illa  
metuntur, inventi sint.

*Rallus aquaticus* æstate interdum, rarissime licet,  
invenitur. D 2 Rallus

n) *Ciconiæ* Ægyptum tanta accedunt in copia, ut agri  
& prata inde albescant; has tamen amant Ægyptiæ, cum  
Ranæ illie tanta abundantia generentur, ut nisi *Ciconiæ*  
eas vorarent, nihil illis cest frequentius, tum etiam quod  
serpentes capiant & devorent. Bell. Obs. p. 102. - - *Ciconiæ*  
aliquot millium d. 28. Augusti prætervolabant Constantinopo-  
lin, quæ ex Russia vel Tartaria advenire credebantur. Idem.

Rallus *Lariformis* loca marittima æstate adit, in continente autem nunquam conspicitur.

TRINGÆ omnes migratoriæ sunt.

Tringa *pugnax* Fn. 145. in Scania plerumque consistit, ubi totam consumit æstatem, ut non, nisi rarissime, in superioribus reperiatur provinciis.

Tringa *Vanellus*, Fn. 148. pratis nostris depresso & paludibus æstate vulgatissima, primo vere, glacie vix dum dilapsa, reddit, pullisque tempore messis adultis, nos aufugiens deserit. Sub judice est, an in ægyptum abeat. vid. §. V.

Tringa *Interpres* Fn. 154. insulas Maris Baltici vere occupat, ibi in autumnum habitans.

Tringa *lobata* e regionibus australibus alpes Lappicas & Norvegicas vere advolat, nidos vero nullibi Sveciæ fingit.

Tringa - - Fn. 151. hieme Angliam petit.

CHARADRIUS *apricarius* Fn. 156. inter ultimas vere revenit, & tempore exiguo, quo inter nos degit, locis uliginosis & Campis Oelandiæ nidificat; cum primis autumno avolat.

Charadrius *Pluvialis* Fn. 157. earum in numero est, quæ, terris peregrinis diutissime moratae, turmas constituant nos prætervolantes ultimas, & in regiones prope-rant magis boreales. Consistit hicce in Oelandia interdum plurimi vero in Dalekarliam avolant, ubi juxta alpes in campestribus habitant, & multiplicati mature abeunt.

Charadrius *Hiaticula*, Fn. 159. mense Mayo redux, paludes creberrima adit, exclusis vero pullis, prata frequentat, & autumno decedit.

RECURVIROSTRA *Avesetta*, Fn. 137. marittima nostra vere maxime infrequens advenit, & littoribus Oelandiæ, apicis in primis ad meridiem vergentis, invenienda est o). Hiemem in Italiam usque eam fugare, existimant auctores.

TRIN-

---

o) It. Oeland. p. 189.

**TRINGA rusticola** Fn. 141. pullis in silvis nostris exclusis, mare transmigrans, in Angliam avolat. Vere autem novo, dum blatiere incipit *Tetrao Tetrix*, illic discedunt, matrimonio junctæ ad nos revertentes.

**HÆMATOPUS ostralegus**, Fn. 161. ad littora marina æstate habitans, ab illis autumno semigrat.

**FULICA atra** Fn. 130. earum paucissimæ loca nostra marittima vere adveniunt; singulare itaque & apprime insolitum habemus, si ad paludes & lacus aliquando videantur.

\* **GALLINÆ** plurimæ per totam apud nos manent hiemen.

**TETRAO Urogallus** Fn. 166. &

*Tetrix*, Fn. 168. In silvis nostris acriosis habitantes, autumno *Vacciniis*, hieme *baccis Juniperi* & *amentis Betule* vicitant, pullos suos *Culicibus*, quibus abundant filvae, præsertim Norlandiæ, alunt: quas etiam *Tetraonum* præcipuam esse patriam novimus. Totum tempus hibernum in provinciis nostris frigidis consumunt, & copiose dum labuntur nives, humi prostrati quiescent, adeoque niye omnino obruuntur. Hoc sub opereulo in ambulacris, quæ sibi efformant, per dies sepe quaterdenas vivere possunt.

*Tetrao Bonasia* Fn. 170. in silvis nostris, Norlandiæ vero frequentior, per totum tempus brumale conspicitur.

*Tetrao Perdix* Fn. 172. in agris nostris autumno secale, cuius foliis vescitur, consertis, semper hieme versatur. Nivem interdum suffodiens cuniculos, foraminibus duobus, eo facilioris respirationis gratia instrutos agit, quibus tota semper familia latet.

*Tetrao Coturnix* Fn. 173. vere adulta, & quidem initio mensis *Frondescentie* prata nostra fertilissima aduenit, ubi inter gramina per noctes cursitans, sibilo suo terge-

tergemino mas, unico vero *fæmina*, e longinquo auditur. Autumno & hieme earum ullam nec vidi nec audiui unquam; utrum itaque, quæ æstate apud nos fuerunt, in Sciam emigrent, ibique consistant, an multis illis, in Scania habitantibus, consociatae ulterius procedant, dijudicare nescio: neque novi an *Coturnices*, quas Cl. Kleinius Sandomiriam, Ukraniam, Podoliā & Valachiam petere dicit p), eadem sint, quæ in Svecia nostra æstivaverint.

\*PASSERES quidam evanescunt, manent vero alti.

COLUMBA *Palumbus* Fn. 175. rigorem climatis nostri sustinet quidem, utpote quæ per hiemes plures, & quidem maxime acerbas, sub cælo aperto, cavea Horti Academicæ inclusa vixit, autumno tamen silvas nostras relinquit, nutrimenti sine dubio defectu compulsa: quo vero in hiberna eam mittant frigora, me omnino fugit; quod tamen longe non aufugiat, credibile est, cum inter primas vere appareat redux. Dum nives alte, illa jam dudum revera lapsæ, hiemsque inopinata, quod interdum accedit, nutrimentum adimunt, pagos, timidissima licet, victimum quæsitu invisere cogitur.

*Columba Oenas* Fn. 174. vergente mense *Defoliationis*, ad *destructionem æstatis*, vel paulo prius evanescunt, & primis diebus *Germinationis*, cum *Motacilla alba* vere redeunt. De hibernis harum multas diversasque fovet vulgus opiniones, quas narrationibus variis de *Columbis*, quas hieme invenérunt, confirmare conatur: narratum a quodam mihi est, quod dum quercum hieme aliquando cæderat, Columbam Oenatem ibi invenisset, quæ rigida, domum perula asportata, calore admisso vires & motum recuperaverat, quamque deinde per annos plures domo ejus sat mansuetam vixisse dicebat. Quod vero *Oenates* omnes talia sibi elegant hiberna nec novi, nec contendō.

ALAU-

**ALAUDÆ** plurimæ ut *pratensis*, Fn. 191. *arborea* Fn. 192. & *campestris* Fn. 193. per hiemem adultam, vel dum acerrima est, inter nos desiderantur, mense vero Februarij, frigora si tempestate excipientur mitiori, iterum apparent.

Alauda *arvensis* Fn. 190. avium migrantium omnium prima redux, cantu suo tremulo appropinquans ruricolis prima quoque annunciat ver. Primas, quas vere offendimus, non alte a terra se tollere, sed valde humiles turmatim volare videmus q). Autumno, diebus ultimis *exfolationis* in agris undique congregari, & vesperis quasi austrum versus migrare videmus. De hibernis earum, utrum sub radices arborum absconditæ hiemem agant, an in Sciam migrant, quod quidem ob infinitam earum multitudinem, quæ hieme ibi reperitur, credibile est, quid certum contendere non audeo: id autem verum est, quod autumno abeunt, & vere dum redeunt, in catervas semper congestæ sint.

**STURNUS vulgaris**, Fn. 183. comes *Monedulae*, tempore *meisis* plerumque abit, Uplandiæ vero puto diutius moratur. In campis Scianæ & adjacentibus ut plurimum avolans, frequentissimus ibi hibernat. Si autem acerrima hiemis sint frigora, in Daniam, interdum etiam Holstiam transmigrat.

**TURDI** in silvis nostris per totam hiemem habitant, baccis Juniperi potissimum vescentes, & neminem eorum nos deferere crediderim; cum per autumnum totum, ad solstitium usque hybernum tendiculis promiscere capiantur.

*Turdus roseus* limites. Lapponiæ nunquam transgreditur.

Turdus

---

q) Alaudam, ante festum purgationis Mariae que profit, non altius a terra unquam volare, existimant rusticis, quam boves jugum sibi impositum portent.

*Turdus aquaticus* Fn. 216. omnibus anni temporibus ad Aquas & sœvissima hyeme ad cataractes & fontes non congelatos Insecta aquatica, ut *Oniscos* & alia aquis se immergendo legens invenitur.

*Turdus Ampelis*. Fn. 179. Autumno catervatim accidunt, & per totam hiemem manentes, Sorbis avide vescuntur: vere autem appropinquante disparent, & aestate nunquam conspiciuntur; septentrionem itaque versus eos migrare & aestivare credibile est.

*LOXIA Pyrrhula* Fn. 178. in silvis aestivat, hieme autem pagos frequentat, semina *Sophieæ*, *Jaceæ*, *Artemisie* &c. quærrens.

*Loxia Chloris* Fn. 202. per totum annum, nulla sine emigratione, in silvis habitat; autumno autem, *Cannabe* maturata, quo feminibus ejus, quibus delectatur, edat, pagos invisit.

*Loxia Coccothraustes* It. Scan. 332. Sciam temporibus nuper recentioribus vere immigrare, ibique nidos fingere advena incepit: hiemes Germania & Europa australi terit.

*Loxia Entelear*, Fn. 176. Westrobotniæ & Lapponiæ avis, silvas nostras ineunte Octobri advenit, & aliquot dies commorata in austrum ulterius procedit.

*EMBERIZA nivalis*. Fn. 194. Nidos suos alpibus Laponiæ fingunt, ibique aestivant; hieme autem adulta ad nos descendunt, frigoribus patriæ suæ fugatæ: in viis & agris nostris, Sciam usque, sparsæ volitant. Harum ex adventu frigora augurantur ruricola intentissima.

*Emberiza Citrinella* Fn. 205. in silvis per totam aestatem habitat, hieme autem pagos advolans, horreas nostras proterve frequentat.

*Emberiza Hortulana* Fn. 208. mense Martio rarissime Sveciam nostram, ibi ut nidum construat, aggreditur, regnum Europæ magis australium incola. Autumno regiones Europæ maxime in meridiem vergentes petit, & putant Auditores plurimi in Africam hiemem eam fugare,

FRIN-

**FRINGILLA celebs.** Fn. 199. *Mares inter primas sunt aviculas, quæ sonum suum hieme usitatum in canum vertunt jucundissimum: vere primo, sub initium mensis regulationis, arboribus ad pagos insidentes garruli, fæminis adhuc absentibus, ver indicant adstans. Redeuntibus denique turmis maximis, quæ cœlum fere abscondunt, fæminis, omnes conjuges requirunt, quibus conjuncti silvas petunt, ibi ut nildulos construant & multiplicentur. Initio mensis defoliationis mares suos, apud nos remanentes, fæmine deserunt mutabiles, solæ regiones petentes peregrinas. In hanc dum se conjiciunt fugam, comites se invicem præbentes, & undique convenientes innumeræ, in turmas denique coalescunt maximas: quæ omnes Sciamam, Daniam, Holstiam & Belgiam prætervolantes, in Europam emigrant australē. Dies circiter post Festum Michaëlis quatuordecim Belgium adveniunt, ubi in eas capiendo oblectamentum habent Nobiliores: quem itaque in finem ædicolam turis & prædilis eorum prope arbores quasdam constructam, reticulis in perniciem harum tensis, frumentisque, vel *feminibus Cannabis* circa arbores sparsis, primo diluculo intrant: & peregrinantur harum multa millia arboribus dum irruunt, quo ex frumentis esurientes jentaculum capiant, in terram audaces desiliunt, & sibi cavere nescientes, ab infusum *Theæ* intus bibentibus circumretinentur. Has inter aviculas captas vix centena mas invenitur, amore sexus fæminas paululum prosecutus. Hæc quæ evitant infidia, in Flandriam, Galliam & Italiam usque iter continuantes, avolant; hinc Italus Alliati Emb. 10.*

*Advenisse biensem Fringilla renunciat ales:  
Ad nos vere novo garrula Hirundo venit:  
Indicat astatem seje expectare Cuculus,  
Autumnum adstantem cernere Eicedular.*

Hieme præterlapsa, dum mense *revegetationis* glacies solvi  
incipiunt, domum catervatim revertunt.

Fringilla *Montifringilla*, Fn. 198. in silvis Norlandæ  
æstate nidificans, ad nos interdum, hieme sævissima accedit.

Fringilla *Carduelis* Fn. 195. semper inter nos versatur,  
æstate in silvis habitans, hieme autem ad pagas adit; se-  
mina *Arctii* & *Cardui* legens.

Fringilla *Spinus*, Fn. 203. in silvis, & juniperitis præ-  
sertim per æstatem habitans, hieme alneta, *Linariæ* associa-  
ta advolat, amentisque Alni vicitat: rarissime pagos advenit.

Fringilla *cannabina*, Fn. 209. æstate in septis Canna-  
bis frequenter, hieme vix conspicitur; utrum itaque  
migret, nec ne, non facile dixerim.

Fringilla *Linaria* Fn. 210. in alnetis per æstatem,  
quemadmodum etiam hiemen plerumque degit, tempore  
hiberno pagos, tecta in primis haud raro frequentat, se-  
minæ *Sophiæ*, *Centaureæ* & *Bromi* potissimum legens.

Fringilla *domestica* Fn. 212. per totum annum ad pagos  
habitat, æstate avis hortis invisa, hieme horreas visitat.

### MOTACILLÆ plurimæ autumno evanescunt.

Motacilla *Luscinia* Fn. 221. nemora nostra in medio  
frondositudine advenit, cantu suo nocturno se facile pro-  
dens: recedit sub fænesecium.

Motacilla *alba* Fn. 214. & *flava* Fn. 215. initio mensis  
*germinationis*, iisdem diebus cum *Falcone Tinnunculo* &  
*Flore primo* redeunt: vergente mense *exsolutionis* cum *Hi-  
rundine* abeunt.

Motacilla *Oenanthe* Fn. 217. serius paulo, & quidem flo-  
rescente *Anemone nemorosa*, circa finem mensis *germinatio-  
nis* prodit, ut ex illo prognosticum sumant ruricolæ; ejus  
post adventum frigoribus nocturnis se liberandos speran-  
tes), tempore messis discedit.

Mota-

*Motacilla Phoenicurus* Fn. 224. *redit tempore frondecentiae*, decedit vero cum *Oenanthe mense messis*.

*Motacilla Svecica* Fn. 220. in Lapponiae finitimi habitat, & quod emigraret verisimile non est, cum apud nos nunquam reperta sit.

*Motacilla Rubecula* Fn. 226. initio mensis *congelationis* silvis quidem inveni, per totam vero hiemem reliquam non videtur.

*Motacilla Regulus* Fn. 236. & reliquæ omnes Motacillæ, quantum mihi notum est, autumno evanescunt, ubi vero hiberna habent, utrum revera emigrent, an sub lapidibus, radicibus arborum & aliis ejusmodi, intra limites patriæ, sese per hiemem abscondant, aliis exquirendum relinquo.

PARI omnes per annum totum remanent, &

*Parus major* Fn. 238. autumno, frigore instante, pagos adit, quos per totum plerumque tempus hibernum frequentat. Villas dum advenit, rusticis eminentis item indicium est.

HIRUNDINES, utpote quæ Infectis vescuntur, non nisi æstate præsentia sua nos delectant.

*Hirundo ruricola* Fn. 244, &

*urbica* Fn. 245. aquis submersæ hibernant. Sub finem mensis *exfoliationis* ad ripas amnum lacuumque turmatim, continuo cantilantes, volitant: arundine vel scirpo uno primo insidet, involat alia, advenit tertia, & sic numerus continuo augetur, usque dum gravitatem non sustinens flectitur arundo, & cum insidentibus aquis immersitur Hirundinibus. Primis diebus *Frondecentiae*, jucundissimæ anni partis adventum nunciantes, mira naturæ dispositione iterum emergunt s).

Hirun-

s) *Venit Hirundo albo ventre & nigro dorso, pulchra tempora adducens & pulcros annos.* Hesyebius. *Cui adstipulatur Ovidius:*

*Fallimur, an veris prænunciea venit Hirundo. Et alibi:  
Tum blanae Soles ignotaque prodit Hirundo,*

*Hirundo Apus* Fn. 246. in cavis arborum & fornicibus  
Templorum, ut vulgo narratur, hibernat.

*Caprimulgus europeus* Fn. 247. cum *Hirundinibus* &  
abit & redit, ubi vero hiemem agit, adhuc latet.

### §. VII.

#### CONCLUSIO.

Avium nostratum e regionibus nostris frigidis emigrare plurimas, ex præcedentibus colligitur.

Nos quæ non deserunt, partim cadaveribus vicitantes, quales sunt *Accipitres* & *Picæ* plurimæ, partim Seminibus, frumentis baccis *Juniperi* vel conis *Abietis*, ut *Galline* & *Passerum* pars magna conirostrorum, per hiemem vitam internos, difficulter licet, sustinere possunt.

Relique nutrimenti præsertim defectu coactæ, alia in loca ad vitam illis sustinendam necessaria, quæ præbent & quibus potiri licet, aufugunt: *Anseres*, quibus in aquis degere, & ex illis penum suum colligere plurimum injunxit natura, dum lacus & amnes nostri, Mare ipsum Balticum glacie concrescunt, ut patriam relinquant, necessum habent: *Scolopaces*, quæ ex paludibus vescuntur lectis, glacie etiam præpediuntur: *Passeris tenuirostris* sive *In/eptivori*, absconditis Insectis, ipsi absconduntur.

### §. VIII.

#### FINIS.

Quæ vero per emigrations hasce avium in amplissima Oeconomia Divina efficiuntur res, quas magnas existimo, investigare difficilius est. Sub hac sua peregrinatione ipsæ variis gentibus exteris, quemadmodum etiam

jam sine dubio animalibus quibusdam, in prædam cedunt. Quomodo Anseres, dum sub hac sua fuga piscium vere vescuntur ovis, eorum multa diglutiunt integræ, eademque post diem, vel ultra, in aliis emitunt aquilæ æque indemnæ ac ea devoraverant, *Piscium ita semetim facientes, temporibus recentioribus pulcherrime demonstravit Gmelinus t).* Quomodo herbæ alpine, in alpibus, a Lapponicis nostris longissime remotis, habitantes, illis tamen communicentur, adhuc latet: numne cum tabelariis hisce semina transportentur earum?

Ciconiæ ægyptum a *Ranis & Amphibiis u),* quæ post inundationem Nili totam illam terram obtiegunt, quemadmodum etiam Faltones Palæstinam a muribus x), liberant.

### §. IX.

#### VIA.

Quod præterea, in terras valde longinuas iter facientes, nunquam a via, qua semper incedunt brevissima, aberrent, & præterlapsò certo temporis intervallo loca revisant consveta, tempus accessus & recessus omnes exacte observantes, summa videmus cum admiratione. Qua vero, finibus transgressis patriæ, iter continuant via emigrantes nostrates, plerumque ignoramus: *Passeres & aviculas minores e Scania in Daniam vel Germaniam transmigrare, & sic porro continente semper proficisci,*

t) *Fl. Sib. p. 25.*

u) *Bell. Obs. p. 102. vid. §. VI. de Cicon. alb.*

x) Hanc in rem ita Bellonius: *Inter Belbam & Gazam Palæstine agri sepe deseruntur ob murium Copiam & Soricum abundantiam, quas nisi devorarent Pernopteri, naturæ instinctu buc advolantes, nullum sementum offert incole facere. Obs. 2. 78.*

38

Helsel, opinor ; Anseres vero plurimos in Poloniam & Lithuaniam abiit, & illinc per lacus & flumina plura in Turciam usque pergere. Hanc vero rem posteri, dum variae gentes in emigrationes avium diversis locis factas observationes cum orbe eruditio communicaverint, fusiū clariusque exposituri sunt.

S. D. G.

*Monsieur !*

I n'y a presque rien au monde, qui soit capable de nous faire plus de plaisir & de satisfaction, que l'amitié sincere & constante d'un homme vertueux; mais ce caractère est presque aussi rare à rencontrer, qu'il est charmant. J'ai eu le bonheur de trouver en Vous, Monsieur, un ami, qui possède une ame noble, qui est franc & fidèle; c'est pourquoi je ne saurois m'empêcher d'être penetré d'une joie la plus vive, en Vous voyant faire le commencement de Vos exercices académiques par un ouvrage, qui fait voir Vos belles connaissances dans l'histoire de la Nature. Votre diligence, Monsieur, Votre genie heureux & la droiture de Votre cœur nous promet en Vous, pour l'avenir, un Medecin très habile; je Vous en felicite, souhaitant du meilleur de mon cœur, qu'il plaise à tout Puissant de Vous faire jouir bientôt des récompenses dignes de Vos merites. Je suis avec une affection particulière & un attachement à toute épreuve

*Monsieur,*

Votre très-humble & très-  
obéissant serviteur,  
CHARLES FREDERIC WIDEGREN